

## De auxilio in montibus, pars tertia

Mense Augusto cum Davide et Martino montem altissimum (plus quinque milia gradus altitudinis) in meridia Helvetia ascendere constitui. Primo die ad refugium sub iugum eius montis situm ascendimus quo proximo die ad cacumen perventuros esse speravimus. Vespere timida illud iugum contempnavi quod satis difficile esse ascensu non ignoravi. Num pede meo fractura sanato ascensus noster prohiberetur?

Media nocte refugio relicto ad iugum ascendimus, semita lucernis in frontibus nostris affixis illuminata. Me rursus spectante illae lucernae a multis gregibus scansorum latae animal magnum videbantur esse quod tarde inter saxa serpsit. Denique cum sol ortus est ad iugum praeruptum pervenimus quod cincturas induti et ad funem vincti manibus ascendere coepimus. Partes planiores eius iugi nobis cautela maxima ambulando et librando erant transeundae. Cum post quattuor horas denique ad cacumen pervenimus, prospectus pulcherrimus montium altissimorum nobis praebebatur quo David et Martinus summopere delectati sunt. Contra, pulchritudinem illius loci omnino neglegens mihi ipsi male dixi cum nos consilium stultissimum cepisse intellexissem: aliud latius montis per moles glaciales satis facile esse descensu patebat, sed cum bacula nostra quae nobis ad ascensum non erant utilia in aditu iugi reliqueramus nobis de monte eodem itinere quo ascederamus erat descendendum.

Aegre illum descensum suscepimus cum pes meus queri inciperet: imprimis illas parts planiores iugi ei summopere displicuerunt quae mihi sine ullo baculo erant transeundae. Articulo calcanei in illa calamitate duos ante annos omnino lacerato tantum aegre et tarsissime per illa fragmenta saxorum potui me librare, pede saepe dolore atroce capto. Cautela maxima ambulans subito voces audivi: dux alius gregis scansorum Martinum rogavit num nobis auxilium esset necesse cum tam tarde per illa fragmenta saxorum ambularem. Martinus iis gratis agit, sed nos opis egere negavit. Dubitantes ii scansores me aspexerunt et comites meos iterum rogaverunt utrum profecto auxilium non indigerem.

Fortasse dubitaverunt an loqui possem? Impatienter et magna voce iis iterum gratis egi et nos sine ullo auxilio ad refugium profecturos esse affirmavi. Fronte contracto dux illius gregis iterum Martinum allocutus est: *Profecto hoc modo iugum descendere posse creditis? Ira capta virus acerbitatis meae in eum evomi: num me male audivisset? Num dubitaret an ipsa consilium capere possem? Num denique nobis invitis auxilium offerre desineret? Num tandem abirent et nos tranquille de monte descendere sinerent?*

A fulguribus meis effugientes illi scansores celeriter decesserunt. Cum iter molestum ad refugium pergeremus, accepta offensione ardens me numquam iterum montem aliquem ascensuram esse constitui. Sed cum post duas horas denique in refugium advenimus statim librum legere coepi quo itinera in alios montes sunt descripta. Ira deferverat.